

respondit presentibus tribus cardinalibus, videlicet dominis Stephano, Nicolao et vicecancellario, quod in animam suam illas fecerat cum consilio cardinalium, qui de regno nostro erant et de consilio vestro fuerant, et^a quod modo aliud faciendi expedire non videbat, nisi de littera dicte pacis Flandrie, super qua adhuc deliberare volebat in aliquibus et tunc nobis respondere taliter, quod vos et nos contenti esse deberemus. A quo petivimus terminum, infra quem hoc faceret, cum nos diu tenuisset. Qui dixit, quod quoad litteram hoc faceret infra quindenam nativitatis Domini, et si in aliis videret salvo honore Dei et ecclesie aliquid aliter boni facere, libenter cogitaret, quia multum impeditus fuerat post adventum nostrum propter negocia nostra et cardinales novos, quos crearat. Preterea licet nullam mentionem sibi de tractatu faceremus, dixit tamen, quod propter servitium et alia impeditus fuerat et erit, et ideo ad illud quod sciebamur, id est de tractatu, tradebat nobis duos cardinales Tusculanum, Brugensem, fratrem Nicolaum et vicecancellarium, cum quibus tractaremus et ipsi apponerent consilium super istis. Ad quos inter Circumcisionem et Epiphaniam accedemus. (25) Item hac die¹ circa prandium misit dominus cardinalis Brugensis ad me episcopum, ut post prandium statim ad eum irem pro negotio dicti tractatus^b, et ivi mandatis domino Gosfrido, magistris Alano et officiali Par(isiensi). Qui multum institit, ut sibi aliquas vias aperiremus ad tractatum; cui diximus, quod magis tractaverat negocium quam nos, qui honorem vestrum debebat diligere et zelari, et ideo ipse cogitaret et nobis vias aperiret. Qui dixit: 'Nescio nisi aperiatis, quia ultimo cum domino meo rege et suo consilio loqui fuistis'. Cui tunc diximus, quod quousque esset consilium appositum in attemptatis et falsitatibus suprascriptis et taliter provisum, quod cederet ad laudem Dei, apostolice sedis reverenciam et vestrum honorem, non decebat. Qui cardinalis petiit, quid fieri^c petebamus. (26) Cui nos: non ut nuncii, sed ut private persone crederemus quod oporteret, tam cardinales Bonifacianos quam offerentes se defensionem solenniter et publice mendacia sua revocare, iustum et bonum zelum domini regis recognoscere et se et statum suum voluntati domini regis supponere. Et tunc possemus ad alia procedere.

a) Folgt getilgt am Ende der Zeile 'quod m' Or. b) Hiernach Ductuswechsel Or. c) Auf grösserer radierter Stelle Or.